

Plurimum Venerandis, Doctrina & Vir-
tute Conspicuis, Vigilantissimisque
SACRORUM ANTISTITIBUS,

Ad Synodum Hollandiæ Australis Lugdunensem
A. MDCCXXII. constituendam Delegatis,

Gratiam & Pacem à Domino!



Uale Judicium ante
Triginta admodum
Annos ex supremo Jus-
su N. N. & Præpp. DD.
Ordinum Hollandiæ
& West-Frisiæ de *Rœl-
lianis* Dogmatibus dederunt Professo-
res Theologiæ in hac Academia isto
tempore, etiam Viri Maximi *Frederi-
cus Spanhemius Fil. & Jacobus Triglandius
Nep.* tale & nos de eisdem nunc
damus ex Vestra, Viri Doctissimi &
plurimum Venerandi, rogatione seria
admodum & repetita, quando illud
Ecclesiæ profuturum omnino existima-
tis.

P R Æ F A T I O.

stis. Visum scilicet est Vobis *unanimiter*, post attentionem magnam & curatissimum rerum examen; non tantum ad imitationem Classium quarundam hujus Synodi, reliquas quoque omnes esse obligandas, ut aliunde accedentes Pastores in introitu suo adstringant ad detestationem damnatarum Opinionum Cl. *Röellii*; atque omni fraterno zelo apud Synodos alias Belgicas esse urgendam Curam diligentissimam contra eas, absque Nominis dissimulatione, &c. sed & *Professores Theologiæ Lugdunenses* esse rogandos, secundum monitionem D. *Præsidis*, ut publico Scripto sententiam suam de *Pondere & Detrimeto Opinionum Damnatarum Prof. Röëlli* declarent, atque sic *Ecclesia Belgica* tota videat, *Opiniones* has nequam tam exigui esse momenti, nec ut *Tolerabiles* poss: spectari. Qua in parte cum nos *Votis Vestris* reluctari, nostroque

P R Æ F A T I O.

que in Ecclesiam & Cœlestem Veritatem officio deesse, nec vellemus nec possemus pariter, en illud Judicium nostrum, à Vobis desideratum, & à nobis promissum, atque coram Domino in ejus sanctissimo timore nunc datum. Ex quo videre dabitur, quam junctis nos animis stemus pro Fide Sanctis tradita, adversus Errores irrumpentes vel irrepentes, atque in eo sequamur Decessorum laudatissima exempla; læti prorsus de Vestro nobiscum Concurso in Domino, quem perpetuum & prosperrimum hic esse jubeat, aucto etiam Veritatis & Pietatis zelo in omnibus, ad ipsius gloriam! Enimvero id tantum heic præstitimus, quod à Vobis exigebatur; non ut post alios prolixè disputarem de rebus omnibus, locisque & argumentis ad eas spectantibus; sed ut Sen-

P R Æ F A T I O.

tentias Viri per ejus adducta Verba candide exhiberemus, & adderemus earundem Momentum, quod Vestram in adversum Curam & Vigilantiam tanquam piam & necessariam commendaret. Et hoc quidem tanto liberius à nobis præstitum est, quod post Cl. Viri obitum nulla supersit occasio, nos clam vel palam infimulandi, quasi ita agentes Academiæ in qua ille docebat quidquam detraheremus studiose in nostræ Universitatis augmentum; qualia à nobis consilia longissime semper abfuerunt, & abfuisse vicissim ab aliis speramus ex Christiana charitate. Hoc addere etiam heic lubet; quod ita sanctam sentiendi Libertatem, in rebus omnibus minoris ponderis, & quæ Formulis publicis Unionis nostræ Christianæ non sunt determinatæ, cum
jugi

P R Æ F A T I O.

jugi Sapientiæ Theologicæ solidæ Aug-
mento, amemus; nec minus etiam
apte aut prudenter à Fratibus dicta in
sensus longe deteriores rapienda esse
putemus; ut tamen ab omni Dog-
matum Innovatione periculosa, quin
& Phrasium offensione justa, ipsi alie-
num geramus animum, aliosque no-
biscum gerere optemus. Ne ludibrio
habitis vel etiam explosis Consensus
sanctissimi Formulis, in media Tſio-
ne ædificetur Babel, & risui non tan-
tum sed & Lapsui certissimo Fides
& Ecclesia exponantur. Id cum Deo
pro viribus nos avertemus; & Vos
avertite similiter difficillimo hoc tem-
pore. Curantes, ut Decreta Syno-
dica salutaria cum Formulis commu-
nibus non tantum firmiter consistant,
sed & serio singuli secundum ea &
datam aliquando fidem se compo-
nant

P R Æ F A T I O.

nant, procul omnibus adversis molitionibus, opertis vel apertis. Valete in Domino cum Vestris Cœtibus & feliciter apud hos opus ejus peragite! Dabamus Lugd. Batavorum a. Kall. Mart. A. MDCCXXIII.

Vobis in Christo Devinctissimi,

JOHANNES à MARCK.

FRANCISCUS FABRICIUS.

JOHANNES WESSELIUS.

TACO HAJO VAN DEN HONERT.

*SS. Theol. Doctores & Professores in Academia
Lugd. Batava.*

ECCLE.